



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Florus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A liciat hunc admissorum scelerum conscientia, vel inquietum exercet admittendorum cupiditas & *Urupa hieroglyphica in Divinis explicatio.* impotentia. Nam si tumore superbia turgescat, quæ illi unquam hilaritas arridebit? Fastu cruciatur assidue, neque ullos tantos putat honores, qui quod affectat explere possint. Repulsam passus est, in felicissimum se mortaliū putat. Avarus est, si jactura quantulumque fiat, vicem deplorat suam: si prædam cui inhiabat elapsam videt, miserè cruciatur. Quid iracundus? annon statim ut incensus est poenas vitii dat sui? Unde Salomon ei luctum mandat, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa manus sanguinaria. Quid invidus? nonne suimet carnifex indefessus? Quid libidinosus? mentita est amica, æstuat immensum: explevit cupiditatem suam, languet & erubescit. Quid vorax? distentus est, ægrè habet: famescit, extorquetur. Quid ebriosus? aret guttur, pulmo inflammatur: potavit, mente, capitur, titubatur, semianimis deficit, atque ut semel cum Flacco dicam:

Anne magis Siculi gemuerunt ante juveni,

quam ejus animus qui sit improbitati, facinoribusque additus flagitiosis? Contra vero probus modestusque vir, ruat cælum, nulla re commovebitur, gaudebit semper, æquanimis erit semper; gaudentem hilaremque scit à Deo vocari, exultantem sacris admoveri. Repulsam patitur, modestè fert: jactura afficitur, parvo contentus est: denunciantur inimicitia, pacem meditatur: sollicitatur à maligno, resistit audacter, latumque tunc triumphum agere sibi videtur, cum semetipsum edomuerit. Cibus & potum ita moderatè sumit, ut neque mentem offuscet, neque debilitet corpus, nullaque demum animi tranquillitas, nulla lætitia, hilaritas nulla huic comparari potest, quæ in recte factorum conscientia requiescit, cum se pium cogitet, cum se vitam puriter egisse reminiscitur.

DE FLORO. CAP. XXXVII.

Longe diversum ab Otide est ingenium Flori: nam quantum illa venerationis in Equum ostendit, tantum hæc exercet odii & ignominia.

FEROX A MANSVETO SUPERATUS.

CAP. XXXVIII.

Ferocem hominem ab humiliore mansuetioreque superatum, per Florum aviculam, quam *αἰθρα* Græci vocant, significabant. Palustris avis ea est, coloris pulchri, oculorum acie non satis valens, quæ cum Equo semper pabuli gratia dimicat: herba enim uterque pascitur. Illa vocem ejus interdum imitatur, insilientque adversus Equum, dorsum occupat, quamque maximo potest morfu colla armosque vellicat: hisque auxiliis freta, cum plerumque fugat.



Flori avis descriptio.

DE SALO. CAP. XXXIX.

Quando vero in has incidimus inimicitias, non dissimiles ab his recensebimus, quæ inter Salum & Asinum habentur ingentes.

INJURIARUM ULTIO. CAP. XL.

Agythum Aegyptii, quem Latini Salum vocant, Asini ulcera rostro excavantem pingunt si hominem illatas filii injurias ulciscantem significare volunt. Nidulatur hæc plurimum in spinis, *Egythus, sive Salus.* acciditque ut Asinus pruritu ulcerum excitatus, scabendi causa se conferat ad spineta, atque ita atterat ulcera, nidosque dissipet: quod quidem illa adeo payet, ut cum etiam vocem rudentis audierit, ova abigat per abortum, pulli etiam metu labantur in terram: itaque Salus ob eam injuriam in Asinum involat, ulceraque ejus rostro impetit, affixaque pertinacius quanto maximo potest conatu excavat, Denique